



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

III. Dissoluuntur ambiguitates aduersus doctrinam præcedentem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

nem facultatem practicam, & quod plus est, omnem etiam speculatiuam significatu suo complectitur, utroque ergo modo aut certe altero dialecticam admittit. Quid? quod ea est collectio multarum de vna re comprehensionum ad finem aliquem vtilem vite, quæ est omnium celeberrima artis finitio; collectio quidem multarum comprehensionum, aut formalium & intellectui hærentium, dummodo ea sit composita qualitas, & multiplex habitus, aut obiectiuarum, id est rerum extra intellectum, si, quod aliqui volunt, ea sit simplex qualitas, & habitus: de vna re, id est de vno attributionis obiecto, quod nos veritatem, alij aliud arbitrantur: ad finem aliquem vtilem vite, vt ostendimus, hoc tractatu desinente. Porro dialecticam esse artem docent Rodolph. Agric. lib. 2. de inuent. dial. cap. 2. Mirandul. in proœm. instit. in log. Scalig. lib. 1. de subtilit. exerc. 1. num. 3. Monlor. initio prior. Nunnus in lib. de constit. dial. Apollin. 1. post. quæst. 2. art. 2. Vasquez 1. 2. disp. 85. num. 6. Flamin. Nobil. quæst. penult. logic. Conimbr. quæst. 2. proœm. art. 1. Tolet. quæst. 1. proœm. cap. 2. ad eius finem.

21 Superest ergo tantum scientia; quæ, si latè sumatur pro quavis notitia etiam probabili, negari nequit, quin dialecticam comprehendat: Quod si sumatur strictius pro notitia euidenti mediata vel immediata, tota difficultas deuoluitur ad tertiam eius acceptionem eamque strictissimam, qua significat cognitionem euidenter mediatam, id est ex præmissis euidenter deductam: scientia namque hoc tertio modo sumpta connexionem habet cum scientia prout secundo modo sumitur; hæc enim illius est causa, illa effectus huius. Proinde nequit altera & non altera in logicam conuenire: quod ergo dixerō de vna videlicet de scientia propriissimè accepta id de vtraque dictum puta. Dico autem logicam omni proprietate scientiam esse. Ita cum B. Thoma 4. metaph. lect. 1. lauellus, Sorus, Soncinas, & plures alij Thomistæ: nam Scoto quæst. 1. prædicab. plerique eius sectatores: item ex nostris auctoribus Suarez 1. metaph. sect. 4. Fonseca 2. metaph. c. p. 3. quæst. 1. sect. 7. Hurt. disp. 2. log. f. 1. Tolerus, Conimb. Tellez, & alij non pauci.

22 Probatur autem, quoniam illa facultas est summa proprietate scientia, quæ habet multos ac varios actus euidentes ex præmissis euidenter deductos: at huiusmodi est dialectica: ergo. Maior probatur, vt facultas aliqua appelletur scientia necessum non est, vt omnes actus euidentes fortiaur, & nullos probabiles admittat; aliàs nec metaphysica, nec Physiologia, nec etiam mathesis, nec alia facultas scientia dici posset, cum omnes aliquando probabiliter solum colligant, imo, si mathesim excipias, non raro sed multoties. Minor probatur: dialectica eo quod definitio sit oratio explicans naturam rei, eam constare genere & differentia, esse clariorem definito, cum eo conuerti, ac reciprocari, & fortassis esse iudicium euidenter concludit: non pauca etiam de argumentatione, diuisione, & aliis obiectis suis eundem in modum manifestè conuincit.

CAPVT III.

Dissoluntur ambiguitates aduersus doctrinam præcedentem.

23 Obiicies primo, Dialectica per nos est scientia: nequit igitur esse opinio; aut è contrario per

nos est opinio: nequit igitur esse scientia. Item iuxta nos est ars: non potest igitur esse scientia aut opinio, vel è conuerso, enthymematum horum antecedentia cum sine nostra, eorum consequentiæ suadentur: Aristoteles 6. Ethic. distinguit eas virtutes, vna ergo & eadem nequit esse scientia, & opinio, aut harum alterutra & simul ars: si ergo dialectica, &c. Respondeo, fieri non posse, vt eadem intellectualis facultas simul sit opinio & scientia, secundum eodem actus & habitus, ac respectu eorundem obiectorum: bene tamen secundum diuersos actus & habitus, & contemplatione diuersorum obiectorum: Hoc autem posteriori modo non autem illo priori asseruimus dialecticam opinionis, & scientia partes sustinere: Aristoteles autem priorem modum non vero posteriorem citra dubium intendi, cum scientiam & opinionem discreuit, atque impossibiles esse aut innuit aut asseruit. Quod autem ad artem attinet, ea & scientia non distinguuntur vniuersaliter & adæquatè, ita vt nunquam in eandem conuenire possint, sed tantum inadæquatè seu particulariter, eo quod aliqua ars non scientificæ, & aliqua scientia non artificiosa factiuæque esse queat: quare ars est recta ratio factibilium siue euidenter probata, siue potius immediatè tendens & omnis probationis expert, & scientia est notitia mediata euidens, siue alicuius factibilis ratio sit siue non sit: Porro ars cum opinione eodem modo quo cum scientia plus minus comparatur, quoad vtriusque distinctionem & impossibilitatem: obiecta ergo ratio nobis negotium non exhibet.

24 Obiicies secundo ex Arist. primo metaph. cap. 3. absurdum est simul querere modum sciendi & scientiam: at si logica foret scientia, cum alia ex parte modus sciendi sit, non esset id absurdum, sed potius necessarium, propter id quod modus sciendi sine scientia reperiri nequit, alterque ab altera non distinguitur. Respondeo, absurdum est simul querere modum sciendi & scientiam, respectu cuius modus sciendi est, non verò scientiam in communi, & qualis ea cumque sit: logica autem non intuitu sui, sed aliarum scientiarum est modus: siue instrumentum sciendi: Vnde non sibi sed aliis præmitti debet quod solum Aristoteles intendit.

25 Obiicies tertio alia eiusdem verba primo rhetoricorum cap. 4. Si quis autem rhetoricam aut dialecticam, non vt facultates, sed vt scientias instituere ac docere conatur, is naturam earum hoc transitu interimere videtur. Respondeo, quemadmodum, ars interdum significat omnem & solam cognitionem practicam, interdum verò latius funditur & facultates etiam speculatiuas comprehendit, vt disserimus, ita è contrario scientia aliquando solam speculationem significat, & cum ea recurrit, aliquando vero tam notitiam practicam quam speculatiuam: Quare, cum dixit Aristoteles dialecticam & rhetoricam scientias haud esse, non de omni vera scientia loquutus est, sed de ea sola quæ cum notitia speculatiua reciprocatur, eiusmodi enim facultates magis practicè cognoscunt quam speculantur. Fortassis etiam non de omni logica & rhetorica sermonem habet, sed de iis tantum quæ quid est in vnaquaque re probabile perspiciunt, vt constat ex cap. 1. & 2. eius lib. rhetoricorum: ibi enim ambas ita sumpsit, & de quibus ibi, de iisdem cap. 4. sequenti loquitur.

26 Obiicies quarto, Nulla facultas practica, nulla non speculatiua dici potest scientia: atqui dialectica est facultas practica, & non speculatiua; quippe quæ est circa actus intellectus in nostra potestate sitos, ad

ad eosque efficiendos, & quam habent veritatem & rectitudinem exequendam instruit atque disponit: nequit igitur esse scientia. Minor videtur satis probata; maior etiam suadetur: quoniam alias iuris prudentia siue politica, quæ reipublicæ bonum procurat, & præmia ac supplicia practicè disponit, nihilominus foret scientia: similiter medicina, quæ ad corporis humani sanitatem aut acquirendam denovo, aut, postquam acquisita est, conseruandam tota refertur: quin etiam simili modo artes mechanicae, & illiberales, cuiusmodi sunt v.g. ædificatoria, fabrilis, frænofactoria, si Deo placet, scientiæ dignitatem obtinerent. Hæc autem sunt absurda: nè sequantur ergo, illud certa ratione tenendum est, solis facultatibus speculatiuis licere scientias esse.

27

Hoc argumentum adiunctis superioribus Aristotelis testimoniis plures ed impulit, vt logicam scientiam esse negarent: præsertim vero Zabarelam lib. 1. de natura log. Balduinum quæst. 7. log. Egidium Romanum in principio posteriorum, Philoponum & Alexandrum in proœmio priorum, Simplicium & Amonium in præfatione ad prædicamenta, Zimaram in tabula verbo, *absurdum est*, & Petrum Nigrum, quæst. 11. clyp. nec non ex nostris Vallium 2. parte, prolog. q. 4. c. 15 Pererium lib. 1. phys. c. 3. & 18. ad vtriusque finem. Cæterum quod attinet ad Aristotelis testimonia superius ea sunt exposita. Quod autem obiicitur, nullam facultatem practicam scientiam esse posse, id omnino falsum, tum quia cognitio repræsentans rem operabilem, adeoque practica potest ex eidentibus præmissis concludi, quidni enim: poterit igitur esse scientia, tum etiam, quia cognitio Dei creaturas possibiles repræsentans est practica, vt præced. tract. visum: & tamen est vera scientia, etiam si non discursiua: Similiter ergo &c. tum denique propter ea quæ inferius cap. 4. subiiciuntur.

28

Ad primum exemplum nobis obiectum, & à Iurisprudentia seu politica petum dici debet, hanc facultatem, prout modo in usu est, & à plerisque exercetur scientiam non esse, eo quod non ratione, sed autoritate aliquid iuri & æquitati consentaneum esse ostendat, & qui sic melius procedit, is sapientior in iure censeatur: quare ita sumpta non tam scientia, quam humana fides est existimanda. Si tamen iurisprudentia æquitatem iuris positui & naturalis à priori & à posteriori euidenter probarent, pro eo ac possunt, & in hoc iurisprudentiæ laudem collocarent, ea quidem posset ac deberet appellari scientia: Proinde modo talis est, si suo magis quam profitentium genio eam metiamur. Ad secundum exemplum respondebis, medicinam quantumlibet practicam nihilominus verè scientiam esse, dummodo non autoritate Hippocratis, & Galeni (quod pluribus medicis familiare est) sed ratione à priori, aut à posteriori nitatur. Ad tertium exemplum dicendum est, artes mechanicas si vt plerumque fit, duntaxat opus ita faciendum esse cognoscant, quia ita fieri consuevit, ab aliisque præceptum est, ne utique esse scientias; quod si non usu & autoritate nitantur, sed via & ratione procedant, & rei faciendæ causas demonstrent, quantumuis practicae sint, scientiæ tamen erunt, vt ex Aristotele lib. 1. metaph. cap. 1. colligitur.

29

Obiicies quinto; omnis scientia vel est practica vel speculatiua, atqui neutra est dialectica; item omnis scientia est de obiecto reali, quod enim non est, non scitur, vt est in Aristotelica & communi paræmia: sed dialectica non est de obiecto reali, sed de solius rationis ente. Rursus omnis scientia certum ali-

R.P. Lyncei Philosophia. Tom. I.

quod & destinatum obiectum sibi præstituit, vt author est Arist. 4. Metaph. c. 1. Atqui iuxta eundem, tum eodem loci, tum etiam in principio rhet. dialectica nullis circumscripta finibus per omne genus entis longe lateque vagatur. Nihil horum virget, nihil est ponderis alicuius: non primum, quia præterquam quod Caietanus, Pererius, & alij inter scientiam practicam & speculatiuam aliam quandam mediam & neutrius generis admittant, illud profecto inferius conlabit, logicam vel practicam, vel speculatiuam esse, imo vtramque simul, illam prout docet, hanc prout vitur. Non secundum, quoniam verisimilius est logicam de ente reali potissimum esse, tum etiam; quia tamen si solius rationis enti incumberet, hoc parum interesset: quod enim dici consuevit, id solum sciri quod est, hoc intelligendum non de ente reali modo, sed de quouis ente, siue reali, siue solius rationis: vnde sicut metaphysica quadantenus est de ente rationis, ita etiam scientia rationalis de eo poterit esse, penes se totam nisi obstat aliud. Non denique tertium, quia ad rationem scientiæ satis est, vt vnum aliquod certumque obiectum attributionis sibi proponat, etiam si non vnum obiectum secundarium, sed infinita consideret, nimirum quatenus sub aliqua ratione ad prædictum finem & obiectum primarium referuntur: Quapropter dialectica poterit esse scientia licet omnia entia perspicat, ea enim omnia non nisi pro vt habent rationem subiecti, prædicati, definitionis, diuisionis, argumentationis, aliove quouis modo ad eius finem vitum nempè veritatem conducunt, illius considerationi subiiciuntur. Hoc pacto metaphysica in scientiis numeranda est, quoniam etsi omnia entia attingat, non tamen nisi prout e conueniunt in ratione entis vt sic atque ad vnum finem & obiectum attributionis destinantur. Et quidem ij quibuscum disputamus aut nulli facultati, aut metaphysicæ in primis, scientiæ nomen indulgebunt.

30

Obiicies sexto, quidquid sit de logica demonstratiua, saltem topicam seu probabilem scientiam esse non posse, cum opinio & scientia ad minimum respectu eiusdem distinguantur: Neque non idem dici oportere de logica fallaci & sophistica, quæ potius error & fallacia quam scientia esse videtur. Occurrendum est huic obiectioni, logicam esse propriè scientiam, etiam quatenus agit de syllogismo topico & fallaci, multa enim de vtroque euidenter concludit. Sic diuina cognitio est vera circa cognitionem creatam falsam, certa circa incertam, & clara circa obscuram, similiter ergo, logica euidenter esse potest atque scientifica etiam circa syllogismum probabilem & sophisticum, esse neuter euidenter sit, neuter scientiæ gradum obtineat. Quare dialectica probabilis & fallax non est eiusmodi formaliter & ex parte actus, sed solum materialiter, & ex parte obiecti siue materiæ quam considerat. Non me fugit vtramque illam dialecticæ partem topicam nimirum & sophisticam aut fallere aut periculo falsitatis exponere, alterum enim horum vna docet, alterum alia, sed vt Fabij verbis vtat. l. 2. c. 16. non ideo in falsa quoque esse opinione concedam: quia longe diuersum est, ipsi quid videris, & vt alius videatur, efficere. Nam & Imperator falsis vitur saepe vt Hannibal, cum inclusus à Fabio sarmenis circa cornua bouum deligatus incensisque per noctem in aduersos montes agens armenta, speciem hostis abeuntem exercitus deduxit: sed illum fefellit, ipse quid verum esset, non ignorauit. Nec vero Theopompus Lacedæmonius cum permutato cum uxore habitu, è custodia mulier euasit, falsam de se opinionem habuit, sed custodibus præbuit. Item orator cum falso vitur

F 3

pro

pro vero, scit esse falsum, eoque se pro vero vti: non ergo falsam habet ipse opinionem, sed fallit alium. Nec Cicero cum se tenebras offundisse iudicibus in causa Cluentij gloriatus est, nihil ipse vidit. Et pictor cum vi artis sue effecit, ut quadam eminere in opere, quadam recessisse credamus, ipse ea plana esse non nescit.

31 Tandem septimò obiicies: dialectica sicut plures conclusiones evidentes, sic etiam plures habet inevidentes & probabiles: igitur ab his potius opinatiua & inevidens quam ab illis scientifica & evidens dicenda est. Antecedens est perspicuum, cum dialectica tota innumeris opinionibus scateat. Consequentia vero suadetur: quoniam conclusio theologica deducta ex duplici præmissa, altera clara, altera obscura absolute obscura euadit, & debiliorem partem sequitur: similiter ergo dialectica complectens conclusiones evidentes & inevidentes debiliorem partem sequetur, & non scientifica, sed absolute opinatiua & inevidens abibit. Hoc argumentum non de re ipsa, sed de sola voce difficultatem nobis mouet: cum enim permittat, dialecticam esse scientificam vna sui parte, & simul opinatiuam alia sui parte, id explicari postulat, à qua earum denominanda sit tota dialectica, & an dici debeat scientia ab ea quæ potior est, vel opinio ab ea quæ deterior: Ipse verò concessio illo priori, quod rem tangit, de hoc posteriori, quod solius verbi lis est, admodum non laboro. Quanquam, ne hanc etiam difficultatem fugere videar, longè probabilius censeo, logicam absolute & adæquatè sumptam scientiæ nomen suo sibi iure vindicare.

32 Ratio autem in contrarium adducta non premit. In primis iuxta enim eam metaphysica & physiologia scientiæ futuræ non essent; cum plurima tantum probabiliter concludant: Deinde, si dialectica tot haberet conclusiones probabiles, quot evidentes, fortassis non scientifica, sed opinatiua ex modo representandi absolute dicenda esset, & cæteris, ut aiunt, partibus debilior pars prævaleret, ac denominationem toti tribueret, iuxta exemplum argumenti: At longè aliter res habet: nam dialectica plura euidenter quam probabiliter concludit; quod vel ex eo constat, quia pleraque, quæ in materia dialecticæ euidentia sunt, & extra omnem opinionem & controuersiam, modo in vtu non sunt, non quod tanquam aliena excludantur; sed quod veluti per se nota supponantur: ex eis tamen dialecticæ dignitatem & claritatem petendam esse, quis iure negauerit? Denique tametsi dialecticæ quantum clarè & scientificè, tantumdem obscure & probabiliter concludat, quod forsitan in nobis, quæ est tenuitas nostri intellectus, regulariter verum est, adhuc scientia dicenda esset, & id nominis ei deberet indulgeri, eo quod eius conclusiones probabiles ad scientificas & evidentes velut finem principalius intentum referantur: Haud secus ac scientia coalescens ex notitiis practicis & speculatiuis, absolute & simpliciter practica aut speculatiua censetur, pro fine quem respicit: practica quidem, si ad notitiam practicam & executiuam operis referantur cæteræ omnes, quo pacto medicina simpliciter practica dicitur, eo quod cognitiones, quibus naturam corporis humani & aliarum rerum speculatur, ad notitiam practicam sanitatis intendat: speculatiua verò, si ad speculationem reliquæ omnes notitiæ institutæ sint: qua ratione theologia absolute speculatiua est, eo quod cognitiones practicas quas habet non paucas, ad perfectam Dei notitiam, & speculationem veluti potissimum finem dirigat. Hæc autem postrema ratio non pro-

cedit in conclusione theologica, quæ quidem simplex & indiuisibilis est, nec præmissas diuersi ordinis à quibus oritur includit, & quamuis eas connotet, illarum tamen neutra ad aliam magis quam è contrario refertur, quin potius ambæ ad conclusionem quasi finem suum destinantur.

33 Quæ hoc capite & præcedente disserui, de logica docente sunt potissimum intelligenda: hæc enim est quæ subaudiri debet ac solet, quoties logica absolute profertur. Cæterum hæcenus disputata logica etiam vnti applicare, haud erit arduum vel difficile: nam si logica vtens (specificatiuè sumatur, ea quidem aut est logica docens cum respectu ad alias facultates, aut hæc cum respectu ad illam, aut neutra earum, sed diuersa quædam disciplina, quæ modum sciendi ac veritatem assequendi in particulari, vel eiusmodi modum sciendi prout existentem, vel quidem solas res, penes earum esse physicum ac prædicamentale considerat: vtrumque autem dicatur, res facile potest expediri: si enim primum, vti logica docens est scientia, ita vtens, quæ eam includit, eique quendam respectum superaddit, quo videlicet ad actus aliarum scientiarum concurrat: si secundum, cum cæterarum facultatum aliæ sint scientiæ, ut Metaphysica, physica, & mathematica, aliæ non sint scientiæ, ut rhetorica grammatica & similes artes, quando non architectonicè seu via & ratione; sed inferiori modo procedunt, profecto etiam logica vtens hoc secundo modo sumpta aliquando erit scientia, quandoque verò ad eum perfectionis gradum non ascendet: Sin autem tertium illud dicatur; ita etiam nulla causa subest, quapropter logica vtens absolute & specificatiuè accepta à scientiarum cœtu arceatur: quid est enim, cur sicut de definitione in communi v. g. ita etiam de ea in singulari, ac quemadmodum de faciendis sic etiam de factis & existentibus, ac denique vti de actu definientibus, ita etiam de eius obiecto penes esse physicum, multa scire & euidenter concludere nequeamus?

34 Alios magis torquet, an logica vtens reduplicatiuè sumpta & prout vtens dicenda sit scientia? Metamen parum sollicitat hæc difficultas: etenim si reduplicatio cadat in vsum seu actionem directiuam, qua logica ad alias disciplinas concurrat, quæ hæc à logica proficiuntur, vti talis actio non est scientia sed eius accedens, ita logica vtens, ipso vtu eoque solo reduplicato, non erit scientia. Quod si reduplicatio, ut multoties fit, cadat in id quod logica vtens in recto importat, videlicet ipsam logicam docentem, aliamvè scientiam ab ea directam, iuxta varias authorum sententias, ita non recuso, quin logica vtens, prout vtens, scientia appellari debeat: imo id longè probabilius, quam contrarium arbitror.

35 Instabis tamen ex aduerso; Logica vtens est obiectum logicæ docentis quæ vtitur, & qua dirigitur, sicut etiam nos superius fassus sumus: at obiectum scientiæ ut obiectum, non est scientia: igitur logica vtens ut vtens non est scientia. Minor probatur, quia aliàs quidquid esset obiectum scientiæ, eo ipso scientia esset; sicut quia homo ut homo est intellectu præditus, quisquis est homo, eo ipso intellectu pollet. Concessa maiori distinguo minorem: obiectum ut obiectum ut sic non est scientia, aliàs omne obiectum scientiæ futurum esset scientia: at tale obiectum scientiæ, ut obiectum, scientia est, cum reduplicatio cadat, non super modum solum, quo obicitur scientiæ, & ea vtitur, sed etiam super id quod logica docenti obicitur, quod scientiam multoties esse, quis inficias ierit? Rursus secundo instabis: vti præceptis non est ea scire; logica igitur vtens ut vtens

vtens non est scientia. Antecedens liquido constat in voluntate, quæ habitibus quos interdum non cognoscit, vtitur, & sine reflexa cognitione suæ facilitatis, facillè tamen operatur. Respondeo; vti præceptis logicæ docentis non est scire præcepta, est tamen scire obiecta alia, ad quæ scientificè cognoscenda, logica docens vtentem dirigit: quare prout vtens non erit scientia præceptorum, erit tamen scientia aliarum rerum pro quibus cognoscendis præcepta traduntur.

CAPVT IV.

An dialectica ex modo representandi obiectum suum practica vel speculatiua sit?

36 **Q**ua in re prima sententia est, logicam esse omnino speculatiuam, & nullatenus practicam; ita cum Scoto in prologo sent. q. 4. plerique eius sectatores; ita etiam Capreolus, Scotus, Herueus, Boncinas, lauellus, & alij Thomistæ: item Auerroës 7. metaph. comment. 7. Auicenna init. suæ log. cap. 1. Bachonius in prol. quæst. 3. Porro hæc opinio aliter & aliter probari consuevit. Quidam ita eam confirmant: actus intellectus sunt obiectum adæquatæ logicæ; at ij praxēs esse nequeunt: nullum ergo obiectum logicæ praxis esse potest: hoc autem ipso, quod logica respectu nullius obiecti sit practica, prorsus erit speculatiua. Alij secundò sic arguunt; obiectum logicæ est solum ens rationis: at hoc praxis non est, cum vere non fiat sicut ad praxim oportet, sed tantum ad instar eius quod sit illud fingamus: dialectica ergo nulla ex parte praxim respicit, ac proinde neutiquam erit practica, sed omnino speculatiua. Tertio alij hoc argumento malunt vti, scientia speculatiua est, quæ definiendo, diuidendo, & argumentando, procedit, siue quæ resolutorio modo tendit, sicut etiam scientia practica quæ contrariò & compositiuo modo, teste B. Thoma. 1. part. quæst. 14. art. 9. at vniuersa logica in definiendo diuidendo & argumentando posita est, & tota resolutorio modo progreditur; ergo vndequeque speculatiua est, ac minime practica.

37 **V**erum enim verò hæc sententia cum tam fragilibus innixa sit fundamentis, vel solum ea propter reiici meretur. Respondeo ad primum argumentum eius maiorem esse falsam, vt ex tractatu 1. liquet; minorem etiam, vt in metaph. lib. 6. tom. 5. cap. 3. docebimus. Ad secundum; Maior est falsa, vt etiam ex superioribus constat: Deinde minor, siquidem ens rationis licet propriè factibile non sit, sed potius quid fieri impossibile, tamen impropiè & secundum quid factibile est, quod sufficit vt praxis sit respectu cognitionis dirigentis ad eius qualem qualem effectiōem: qua ratione actus virtutum moralium in Deo praxēs sunt, cum tamen non sint propriè factibiles: & quo pacto verbum, quamuis genitum non factum, nihilominus praxis rationem fortassis obtinet. Vide quæ in met. de praxi & speculatione disseremus, neque non quæ capite sequenti subiiciemus. Ad tertium: scientia speculatiua & practica non in eo dissident, quod illa resolutorio modo procedat, seu conclusiones in principia per argumentationem, aut definitum in genus & differentiam per definitionem, aut totum in partes subiectiuas per diuisionem resoluat, contra vero hæc compositiuo modo seu considerando applicationem formæ ad materiam progrediatur, vti plures Thomistæ contendunt: tum quia scientia procedens resolutorio modo seu defi-

niens, diuidens, & argumentans, ad executionem sui obiecti conferre, & ad eam tanquam finem referri potest, vt visitur in hoc actu, *definio constat genere & differentia*, qui sanè dirigit ad eliciendum hunc actum, *homo est animal rationale*, aut alium similem, & eius executionem sibi finem præstituit, cum tamen suum obiectum in genus & differentiam resoluat; eademque eius erit ratio, etiamsi obiectum suum in principia resoluat, & ex eo quod definitio sit *oratio explicans naturam rei*, & talis esse nequeat, quin constet genere & differentia, eam constantiam efficiat atque concludat: sed cognitio suapte natura relata ad executionem operis sibi subiecti, hoc ipso est practica: igitur cognitio procedens resolutorio modo est practica, ac proinde modus hic neutiquam est proprius solius speculationis. Tum etiam, scientia Dei de Angelo, & Angeli de suis operationibus practica est, vt certo certius: nihilominus compositiuo modo non procedit; id est applicationem formæ ad materiam non considerat, cum Angelus & operationes eius immanentes saltem & vitales, materiei & omnis corporeæ concretionis ac terrenæ facies expertes sint: Et quidem, sic & non aliter, modum hunc compositiuum Thomistæ explicant, & practiciis notitiis proprium esse autumant, nisi fallor delusi exemplo plurimarum artium, quæ hoc docent, quatenus in aliquam materiam sensibilem imprimenda sit forma quædam artificiosa domus, nauis, imaginis, vestis, gladij, aliæque eiusmodi. Denique è contrariò scientia nostra de cælo v. g. speculatiua est, non practica, & tamen modo compositiuo procedit, & applicationem ac vñionem formæ cælestis ad eius materiam, si non à nobis, at à Deo factibilem considerat. S. Thomas autem cap. 6. inferius explicabitur, quare immerito nominis eius profugio aduersarij vtuntur.

38 **S**ecunda sententia est, logicam esse omnino practicam, & neutiquam speculatiuam. Cui suffragantur Aureol. quæst. 3. prol. art. 2. Occam. quæst. 11. Collar. 2. conclusionis 4. Gregorius quæst. 5. art. 1. Gabriel quæst. 11. art. 2. post. 5. conclusionem. Fonseca, tom. 1. metaph. lib. 2. cap. 3. quæst. 2. Scaliger exercit. 307. num. 2 3. landun. 6. metaph. quæst. 5. Paulus, Vennet. initio suo logicæ, Gilius lib. 1. tract. 5. cap. 1. n. 3. Rodericus disput. 3. log. l. 3. sub. 2. & alij tum neoterici, tum antiqui. Quorum etiam opinio sicut procedens, non vno solet probari modo. Aliqui eius fautores sic arguunt. Dialectica tota est in dirigendis actibus intellectus tota in eorum artificiosa effectiōne procuranda, aliudque præter eos, aliove modo nihil considerat: practica igitur ex toto est. Item alij sic arguunt: logica tantum respicit voces, & respectu ad illas habet, hoc solo fine, vt ad earum artificiosam dispositionē, atque effectiōnem dirigat: omnino igitur practica est, & nullatenus speculatiua. Ceterum istiusmodi rationum leuitas arguit, quam tuentur sententiam leuem esse, parumque momentosam. Principiò namque, nec solos actus intellectus, nec solas voces obiecti formalitèr logicæ docenti, sed etiam res prout vtrisque subsunt, eorumque merito significantur, & per late ostensum tractatu 1. & inferius cap. sequenti fortassis ostendetur, falso igitur principiò ea nititur opinio. Vtcrius res quatenus actibus intellectus aut vocibus subiiciuntur, saltem sunt obiectum materiale logicæ docentis, quod ne aduersarij dissentiant: cur ergo dialectica respectu rerum speculatiua, ac proinde non omnino practica sit; quemadmodum actus intellectus verus aut falsus esse potest, munere solius obiecti materialis, vt cum conclusioni falsæ ob præmissam veram